Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 625

Quelle:
Copyright:

nunc et ſemper et in omnia ſecula ſeculorum Amen.

IV. *fol.* 36. *Incipit liber quartus de fuga ſeculi.* Initium: *Frequens nobis de effugiendo ſeculo iſto eſt ſermo* &c. Finis: *cui regnum eſt a ſeculis et nunc et ſemper* &c. ut ſupra.

V. *fol.* 45. p. 2. *Incipit liber quintus de Jacob et vita beata.* Initium: *Neceſſarius ad diſciplinam bonis omnibus* &c. Finis: *ſumma animi tranquillitate perfuſus.*

VI. *fol.* 51. p. 2. *Incipit liber ſextus de eadem re ſcilicet de Jacob et vita beata.* Initium: *Superiori libro de uirtutum preceptis* &c. Finis: *et quia atroci peremptus eſt morte.*

VII. *fol.* 60. p. 2. *Incipit liber ſeptimus de ſancto Joſeph patriarcha.* Initium: *Sanctorum uita ceteris norma uiuendi eſt* &c. Finis: *et audite iſrael patrem veſtrum.*

VIII. *fol.* 71. p. 2. *Incipit liber octauus de benedictionibus patriarcharum.* Initium: *Primum omnium quantam diſcimus* &c. Finis: *Ego plantaui apollo rigauit.*

IX. *fol.* 79. *Incipit liber Nonus de Nabuthe Iſrabelita.* Initium: *Nabuthe Hyſtoria tempore uetus eſt* &c. Finis: *eciam ſi prime preuaricacionis laqueos euaſerint.* In edit. Opp. *Mauriana Ambroſii Pariſ.* 1686. f. habentur Opuſcula haec T. I. a *col.* 281. parum a noſtris variantia, niſi quod in fine *ultimi* ibi ſit adjecta παρεκβασις: *Sed oportet nos* &c. quam plura Mſs. non agnoſcunt. Librarii noſtri clauſula eſt: *Finitus eſt iſte liber ſexto kalen. Marcy Anno domini M°. CCCC°. XXXVI°. Indict. IX.* (14) *Pro quo laudetur Marie filius qui ſit nobis clemens ac propicius Amen.* Confer et Cod. CXCIX.

X. *fol.* 94. *Paradiſus* ſive Epitome Operum et Sententiarum S. *Auguſtini* libris VIII. digeſta a *Bonizone* Epiſcopo primum *Sutrino* et Legato Pontificio, dein Antiſtite *Placentino*, ſed paucis poſt menſibus a factioſis hominibus *Urbano* II. infenſis e vita, truncatis membris, oculiſque effoſſis, exturbato an. 1089. Egit de eo, ejusque praeſenti Opere *inedito* large, ut ſolet, *Lambecius* L. II. p. 790. edit. *Kollar. col.* 605 quo Lectorem dimittimus, ſequentia adnotare contenti. Praeit Epiſtola dedicatoria inſcripta: *Bonizo in familia dei minimus Johanni reuerentiſſimo Abbati ſalutem. Dominica uoce reus arguitur* &c. Epiſtolae hujus magnam partem, quae Operis titulum et οἰκονομιαν continet, excerpſit *Lambecius*, ſed *Johannem* Abbatem fuiſſe *Johannem* illum *Gualberti* Ordinis *Vallis Umbroſae* auſpicem non ſatis perſuadet. Initium Operis ſeu L. I. qui, ut ſequentes, tribuitur in titulos, fontibus *Auguſtinianis* ad margines citatis, eſt: *Omne quod eſt. aliud eſt quod conſtat, aliud e quo conſtat* &c. Finis L. VIII. *Neque corrupcio incorrupcionem poſſidebit, ſicut ſatis quantum arbitror diſſeruimus.* Accedit clauſula miniata: *Explicit liber iſte.*